



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Qu[æ]estio 27. Proclamationes in templo hæretico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

576 Pars 3. tract. 6. Resolutiones practica ad Ec.  
tanquam testis qualificatus ut contractus ille  
debitè ineatur : sicut ergo (ut admittit Serrar.)  
alij testes absque peccato tali matrimonio  
assistunt, idem de Parocho admittendum est :  
tam enim Parochus quam testes reddunt con-  
trahentes habiles ad matrimonium ; quia neque  
Parochus sine testibus, neque testes sine Parocho  
sufficerent.

Probatur secundò : Quia Parochus in hoc ca-  
su non assistit actui de se malo, sed quem con-  
trahentes, si vellet una pars converti, possint  
licitè & honestè exercere : atqui, ex principio  
passim recepto, dum peto actum, vel assisto  
actui alterius, quem posset rite præstare, & ex  
sua culpa exercet illicitè, non dicor ego eius pec-  
cato cooperari, & si adsit causâ petendi illum  
actum, debeo judicari à culpa immunis ; uti  
omnes admittunt dum urgente causâ petitur  
mutuum ab usurario, aut Sacramentum ab ex-  
communicato, aut domus meretrici elocatur.  
Ergo idem de assistentia Parochi ad nuptias, cul-  
pâ contrahentium illicitè initas, judicandum  
erit. Et ita, cum aliis quos citat, docet Basil.  
Pontius in append. cap. 9. §. 1. n. 3. Adde tamen,  
nisi talis assistentia aliunde, v. g. ex superiorum  
decreto, alicubi prohibeatur.

#### QUÆSTIO XXVII. Proclamationes in Templo hæretico.

**A**N Proclamationes, quæ matrimonio præ-  
mitti debent, fieri possint in templo hære-  
ticorum ?

**R**espondeo affirmativè, si nullum inde Ca-  
tholicis scandalum oriatur : & ita resolvit  
Lessius in Aactar v. hæret. cas. 24. Quia per has procla-